

1512 intulerant. Antonius Saornianus, qui Utini, uti supra dictum est, cæde civium secum dissidentium ingenti facta, rempublicam cuius erat e nobilitate civis, deseruerat, atque ad hostes profugerat, omniaque ingrati & malefici hominis studia contra illam exercuerat, ab inimicis suis in Maximiliani finibus trucidatus, dignam tot sceleribus mortem obiit. Ferdinandus clade suarum copiarum, quæ cum Gallis apud Ravennam depugnaverant, intellecta, literas ad Julium dedit, ne propter eam rem animo perturbaretur: suum exercitum bene plenum ad Pyrenæos in Galliam quamprimum irrupturum una cum Britannico exercitu, qui modo expectabatur: mittere autem se in Italiam Consalvum Ferdinandum suarum copiarum ducem, eumque esse quinto idus majas profecturum: venturum etiam se se ipsum, si oporteat, non obscure confirmabat. Julius ea spe fretus de Cardinalium sententia binas literas scribi jussit: quarum alteris Cardinali Medici ejus legato, qui a Gallis in custodia servabatur, permittebat, ut omnes homines, qui ab eo delictorum fuorum veniam peterent, etiam si hostes Romanæ reipublicæ suis sent, expiare posset, dum ii parere Pontifici Maximo suum in animum induxissent. alteris a Rege Galliæ petebat, ut eundem legatum liberum suique juris vellet esse: id ni faceret, eum se igni & aqua interdictum, regnique dignitate mulctaturum, minabatur. Antonius Sorianus legatus ad regem Pannoniæ a Senatu lectus, illis diebus viæ se dedit. Patrum jussu in omnibus fæcere sunt pro republica, nostro & Helvetiorum exercitu contra Gallos in Veronæ finibus se conjungente: qui quidem Helvetii circiter decem & octo millia militum numerum conficiebant.

Veneti Valegium & Pischeriam primis aggressibus cum cepissent, Benaci lacus oppida omnia sponte ad rempublicam redierunt. Cremonenses exercitibus eo tendentibus sibi veriti, quadringentis auri libris Cardinali Seduno pollicitis, conditione adhibita, ne oppidum ingrederentur, se ei dediderunt. ejus interpretes rei Julii legatus, itemque